



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

xj. De Nuptijs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

rate, ratum nolit habere matrimonium, dissolventur sponsalia: nec aliquid proderit, quod sub certa pœna contracta fuerint: cum enim libera matrimonia esse deceat, pœnarum inanis omnis est adiectio.

a ca. bema.  
§. cum ita  
que. extra.  
cod. lit.

Ob fornicationem post sponsalia etiam iuramento firmata commissa, potest quis licetè resiliire & id quod coniunctos disungit, multò magis impedit coniungendos. h. d.

b cap. quem  
admodum.  
extra. de iu  
reiran.

Vnius quoq; tantùm dissensu etiam iurati solvuntur interdum sponsalia, veluti si quis aliquam se in vxorem ducturum iurauerit, & ea postmodum fornicata fuerit: nam licet eidem fornicationem non possit opponere præcedentem, ob subsequenter tamen poterit eadem in coniugem non ducere: quia illi iuramento talis inest conditio, si illa contra regulam desponsationis non venerit: alioqui si post huiusmodi iuramentum publica meretrix fieret, teneretur eam in vxore ducere: quod est profus absurdum. Nam si post contractum coniugium, vir propter fornicationem licetè potest à sua cohabitatione recedere: longè fortius ante coniugium celebratum sponsus sponsam poterit non admittere.

Carnalis, & spiritualis fornicatio æquiparantur. h. d.

Idem erit, si sponsus, vel sponsa idololatrando, vel hæresim sequendo in spiritualem forni-

onem inciderit.

Si sponsi conferant se ad remotas regiones, sponsæ possunt se ad aliorum nuptias conferre, recepta, si peierauerint, pœnitentia. h. d.

Sed & si qui præstito iuramento promittant aliquas se mulieres ducturos, posteaq; illis non cognitis, procul recedentes, ad alias partes se transferant, liberum erit mulieribus ad alia migrare vota: recepta tamen de periurio, si fortè iuramentum præstiterint, pœnitentia, si per eas steterit, quò minus fuerit matrimonium consumatum.

c cap. de illis.  
e extra. cod.

Lepra, uel similis morbus sponsalia dirimit, licet non dirimat matrimonium. h. d.

Item si sponsus, aut sponsa, leprofus fiat, vel leprosa: paralyticus, vel paralytica: aut nasum, vel oculos amittat: aut quid sibi turpius eueniat: ad consumandam maritalem copulam compelli non debent: licet iam contractum matrimonium superueniens lepra, vel alius morbus non dirimat.

d ca. 1. & ff.  
extra. de  
coniugio  
proso.

## DE NVPTIIS, TITVLVS XI.

Ponit subordinationem præsentis Tituli ad præcedentia, & sequentia. h. d.

Exposuimus hætenus, quid esset matrimonium, quæ ratione inter sacramenta reponatur, admonentes illud initiari sponsalibus, consensu ratificari, & copula consumari. Sed cum proximè de sponsalibus, tan-

tanquam de principio tractatū habuerimus: reliquū nunc est, vt de consensu & copula, quib. substantia & perfectio matrimonij continetur, differamus: quid impediatur nuptias contrahi, vel contractas dirimat, cum cæteris quæ tractatui adiacent, recensentes.

*Nuptiæ consensu partium contrahuntur, nec sufficit consensus parentum. h. d.*

Nuptias igitur, siue matrimonium inter se contrahunt, viri puberes, & mulieres viripotentes, simulatq; in se inuicē consenserunt. Vbi .n. non est vtriusq; consensus, non potest esse matrimonium: ideoque, si ex altera parte pater puellæ tantum consenserit, ex altera, qui se cupit maritum fieri, nihil agitur: quamquam honestè faciant filij, si paternæ voluntati minimè reluctentur.

*Pubertas estimatur non tam annis, quam corporis habitu. & minores quatuordecim annis non possunt contrahere matrimonium, nisi pro bono pacis, & ex necessitate. h. d.*

*cap. puberes. extr. de despon. impub.* Sed qui sint puberes, videamus: & quidam<sup>a</sup> ex annis tantum pubertatem iudicandam asserunt, eū esse puberē rati, qui quatuordecim annos impleuerit: & viripotentem, quæ duodecim, quamvis tardissimè pubescant. Præualuit tamen opinio existimantium ex habitu corporis pubertatem debere cēferi, atq; eos qui generare pos-

sint, etiam si minores annis sint, in proposito puberes reputari. Itaq; si malitia ætatem suppleat, etiam minores ea ætate coniungi possunt. Idem, si fortè vrgentissima necessitas<sup>b</sup> interueniat: vtpote quòd pro bono pacis talium coniunctio sit toleranda.

*Quantum ad Ecclesiam, etiam uerba sunt necessaria ad contrahendum matrimonium, ac muti & surdi signis nuptias possunt contrahere. h. d.*

Licet<sup>c</sup> autem per solum legitimum viri & mulieris consensum matrimonium contrahatur, attamen quantum ad Ecclesiam, verba præsentem consensum exprimentia sunt necessaria, si contrahentes loqui poterunt. Muti verò & surdi<sup>d</sup>, qui loqui non possunt & exaudire, si cōtrahere velint, & quod verbis ostēdere nequiverint, signis declarauerint, procul dubio legitimas nuptias contrahent.

*Ponit quæsdā uerborum conceptiones aptas ad matrimonium contrahendum. h. d.*

Verba autē ad hoc apta sunt: verbi gratia<sup>e</sup>, Ego te in meam uxorem accipio. & ego te accipio in meum maritum. vel, promitto quòd te ab hoc tempore pro coniuge tenebo, & tibi sicuti uxori meæ fidem seruabo. & contra, Promitto me te pro marito habituram, & tibi tãquam uiro proprio fidem seruaturam. vel similia consensum de præsentem exprimentia.

*Verba prolata in contrahendo matrimonio sunt accipienda secundum communem intelligentiam. h. d.*

*b cap. 2. in fl. extra. de despon. impub.*

*c cap. tuæ fraternitatis. extr. de despon.*

*d cap. cū apud. extr. de despon.*

*e cap. ex parte. extra. de despon.*

cap. ex li-  
teris . el . 1.  
extra de  
spons.

Inde quæritur, si alter coniu-  
gū ita loquutus fuerit<sup>a</sup>, vt, quod  
propositum est, altera pars nō  
intellexisse se affirmet, quid a-  
gendum sit, si tali prætextu cau-  
sæ disidij quæratur? in qua spe-  
cie, si matrimonium contractu-  
ri iudicio & ætate sint idonei, si  
alter, quod alter proposuit, non  
intellexerit, statutum est, ad cō-  
munem verbi intelligentiā esse  
recurrendum, cogendiq; erunt  
ambo verba prolata in eum sen-  
sum accipere, quem solent re-  
ctè intelligentibus generare.

*Serui possunt etiam inuitis dominis cōtra-  
here matrimonium, dum tamen dominos non  
fraudent debitis obsequijs. h. d.*

cap. 1. ext.  
de coniug.  
seruo.

Illud quoque explorati iuris  
est, quòd matrimonia inter se  
contrahunt, nō solūm liberi ho-  
mines, verūm etiam serui<sup>b</sup>. Sic-  
ut enim neque liber, neque ser-  
uus est ab alijs sacramentis Ec-  
clesiæ remouendus, ita nec in-  
ter seruos matrimonia prohibe-  
ri debent: ideoq; , quanquā con-  
tradicientibus dominis & inui-  
tis contracta fuerint, nulla rati-  
one propterea sunt dissoluen-  
da. Serui tamen, qui contraxe-  
rint, proprios dominos debitis  
& consuetis obsequijs minimè  
fraudare debent.

*Si unus coniugum comperiat post cōtra-  
ctum matrimonium serualis conditionis, potest  
dissolui matrimonium, nisi post talem cognitio-  
nem fuerit renouatus consensus, uel sequuta co-  
pula. Et, liberi sunt ex libero uentre nati, nisi  
aliud inducat lex, & mos regionis. h. d.*

Si quis tamen<sup>c</sup>, vel si qua in-  
sciens eum, vel eam sūmpserit  
in coniugem, quē vel quam po-  
stèa seruilis compertum sit esse  
conditionis, nec post diem ve-  
ræ cognitionis habitē se inuicē  
cognouerint, aut aliter facto in  
uicem in se consenserint, ita se-  
parari poterunt, vt vtrique libe-  
ra cum alijs contrahendi facul-  
tas non denegetur. Liberi au-  
tem sunt, qui sunt ex libero ven-  
tre nati, nisi quis patris cōditio-  
nem secundum leges & consue-  
tudinem prouinciæ, sequatur.

*Error in persona impedit matrimonium.  
hoc dicit.*

Multò magis matrimonium  
inualidatur, cum quis in perso-  
na errauerit: vtputā, si existimās  
se cum Gemma cōtrahere, cum  
Berta contrahat.

*Si alter contrahentium utitur uerbis dubijs  
animo decipiendi mulierem, & eam postmodū  
carnaliter cognoscit, iudicatur pro matrimonio  
in foro iudiciali, secus in pœnitentiali. h. d.*

De eo quæsitum est, qui cum  
non aliter mulierem, vt sibi car-  
naliter commisceretur, perdu-  
cere posset, quā si eandem de-  
sponsasset, proprium mentitus  
nomen, illam per hæc verba de-  
sponsauit<sup>d</sup>: Te Ioannes desponsat, an  
quia vir illo nomine non voca-  
retur, nec vllum nubendi habe-  
ret propositum, sed copulā tan-  
tūm carnalem exequendi, inter  
prædictos matrimonium sit ce-  
lebratum, cum tamen mulier in  
virum

cap. 2. &  
fin. extr. de  
coniug. serui.

capit. tua  
nos. ext. de  
spons.

virum consenserit? Et responsum est, nō debere ex isto facto coniugium iudicari, cū in eo nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi cōiugium inueniri valeat: quoniam ex altera parte solummodo dolus adfuit, consensus omnino defuit: sine quo cætera fœdus coniugale perficere nequeunt. Sed donec expressè non appareat, quòd is, qui mulierē desponsauit in propria persona, sub nomine tamen alieno, quo vocari tunc se finxit, dissen sit, interim erit pro matrimonio præsumendum.

QVÆ MATRIMONIUM  
impedire possunt,

TITVLVS XII.

*Error personæ, & conditionis impedit matrimonium, non autem qualitatis & fortunæ. hoc dicit.*

**E**Rgo nō omnis error matrimonium impedit: nam si quis corruptam in uxorem accipit, quam virginem arbitratur: vel, qui accipit meretricē, quā putat esse castam: vterque quidem errat, neutro tamen casu ob errorem matrimonium infringitur.

*Ei qui scienter ducit in uxorem publicā meretricem, peccata remittuntur. h. d.*

*capit. inter opera. ext. de sponsal.* Quin potius qui scientes & prudētes, mulieres publicas de lupanari extraxerint, & in vxores duxerint, quod agent, in re-

misionē proficiet peccatorū: cū inter opera charitatis non minimum sit, errantem ab erroris semita reuocare.

*Qualis sit error personæ, conditionis, fortunæ, & qualitatis. h. d.*

Solum igitur personæ, & conditionis error obstat matrimonio: qualitatis verò, & fortunæ non obstat. Est autem error personæ, cū hic, qui est Ioannes, Paulus putatur. Conditionis, cū is, qui seruus est, liber creditur. Fortunæ, vt cū is, qui pauper est, diues existimatur, vel contrā. Qualitatis, cū is reputatur bonus, qui tamen est malus. Sunt & alij plures modi, quibus matrimonia impediuntur: vtputà, cōditio apposita & nō impleta, secundū ea, quæ suprā diximus de sponsalibus.

*Sacer ordo, & uotū solenne impediūt matrimonium contrahendum, & contractū dirimunt: uotum autem simplex solum impedit contrahendum, & pro uoto simplici fracto imponenda est pœnitentia. h. d.*

Item voti<sup>b</sup> solennis emissio, & sacri ordinis susceptio, tā matrimonium impedit contrahendum, quā postea contractū dirimit. Secus verò statuitur in voto simplici: quanquam enim contrahendum impediatur, non tamen cōtractum dissoluit. Sic & religionis habitus sine professione susceptus, ne contrahatur, impedit, sed iam contractas nuptias nequaquā tollit. Huic

*cap. 1. et 2. & per totū tit. extra. qui cleri. uel uoue. matri. cōtra. poss.*